



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris
Petri Marchantii**

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Art. 2. Quanta sit dignitas ordinis Presbyterij

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

Tractatus Primus,
est autem omitti in ordinatione absque
peccato mortali.

Articulus Secundus.

Quanta sit dignitas Ordinis presbyterij.

EX quatuor potissimum capitibus Sacerdotis dignitas estimanda est. 1. A Sacerdotis auctore. 2. A persona cuius vicariam potestatem gerit. 3. A potestate & ministerijs in ordine ad sacrificium. 4. A potestate ac Ministerijs ad populum Dei, quę sic declarantur, (à Sacerdotij auctore) qui fuit Christus, filius Dei, verbum incarnatum. Qui Sacerdotium in ultima cena instituit, cum corpus suum & sanguinem sub specie panis & vini, patri aeterno offerens, Apostolos Sacerdotes consecravit, quantum vero id Sacerdotio dignitatis praestet, expendit *S. Dyonis. Areopag. L. Eccles. Hier. cap. 1.* *Vt enim* (inquit) *qui Sacerdotium dixit, sacrorum ordinem uno vocabulo signavit ordinem: ita qui Sacerdotem seu Pontificem dicit, augustiorem prorsus quam divinum insinuat virum:* (& subdit) *hujus profecto Sacrae functionis initium est fons*

vita,

vita, bonitatis essentia, unicarum omnium
causa beatissima trinitas.

A persona cuius Vicariam potestatem
gerit quia Sacerdos Christi domini suc-
cessor non est, sed vicarius, ejus personam
ministerialiter gerens, imo actione & ipsis
verbis Christi Sacrificium perficiens, unde
S. Chrysost. Hom. 60. in Matthaeum. Verum
(inquit) *& tu laice cum Sacerdotem videris*
offerentem ne ut Sacerdotem esse putas hoc
facientem, sed Christi manum invisibiliter
extensam.

A potestate in ordine ad Sacrificium,
Sacerdoti summa accrescit dignitas, quam
agnoscens merito exclamat: *S. August. lib.*
de Eccles. Dogm. O Sacerdos Dei si altitudi-
nem cæli contemplaris altior es: si pulchritu-
dinem solis, luna, & stellarum, pulchrior es: si
discretionem angelorum discretior es: si o-
mnia Dominorum sublimitatem subli-
miores: solo tantum creatore inferior existis.

A potestate & Ministerijs ad populum
Dei, quæ consilit in solutione vel reten-
tione peccatorum tanta oritur dignitas ut
S. Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio illos præferat

Angelis & Archangelis: qui terram (inquit) incolunt atq[ue] in ea versantur, ijs commissum est, ut ea quæ in cœlis sunt dispensent: ijs datum est ut potestatem habeant, quam Deus optimus neq[ue] angelis neq[ue] Archangelis datam esse voluit.

Articulus Tertius.

Quænam sint obligationes Sacerdotum quatenus Sacerdotes sunt.

1. **O**bligatio est: Quod sit rite Ordinatus, quia Christus solos Sacerdotes tanquam Apostolorum in Sacerdotio successores, hujus sacrificij ministros instituit, eisq[ue] præcepit per hæc verba: hoc facite in meam commemorationem.

2. Ut Sacerdos impotentia ad essentia-
lia Sacrificij peragenda non laboret: unde
mutus, vel ita Balbus, ut formam verbo-
rum sacrificij pronunciare nequeat, mis-
sam celebrare non potest: item: verba
consecrationis ignorans, aut legere non
valens, vel materiam sacrificij moraliter
distinguere nesciens, à celebrando repel-
litur.

3. Ut